



~~11-73.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.  
11-73. ———  
SIGNAT. c1515CCCXIII.

52

I. N. J.

ΣΚΙΑΓΡΑΦΙΑ

LOGICÆ SYNOPTICÆ

ΔΟΓΜΑΤΙΚΟΣ

per præcepta expositæ,

ΑΞΙΟΜΑΤΙΚΟΣ

per Canones illustratæ,

ΕΛΕΓΧΤΙΚΟΣ

à controversiis Neotericorum cum pri-  
mis liberatæ,

*Quam*

Favente Divini Numinis auxilio

*in*

Illustri & florentissimâ ad Albim Academia,

Sub Præsidio

RECTORIS MAGNIFICI

Viri

*Excellentissimi atq; Clarissimi*

Dn. M. CHRISTIANI TRENTSCHII,

Logices & Metaphysices Professoris Publici,

Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui æternum  
suspiciendi.

*Placida ac publicæ disquisitioni subjicit*

AARON BLIVERNITZ Thor. Bruff.

Autor & Respondens.

*in Acroaterio Majori ad diem Maij horis matutinis.*

---

WITTEBERGÆ.

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.



1771  
JULIUS HONOR.

TITULUS

EXERCITII

ACADEMICI

IN

ARTIBUS

LIBERALIUM

SCIENTIARUM

ARTIS

ET

TECHNICARUM

IN

UNIVERSITATE

WITTEBERGENSI

ACADEMIA

LIBERALIUM

SCIENTIARUM

ARTIS

ET

TECHNICARUM

IN

UNIVERSITATE

WITTEBERGENSI

ACADEMIA

LIBERALIUM

SCIENTIARUM

ARTIS

ET

TECHNICARUM

Aaron Blüveritz

A. B.



I. N. J.

## Præloquium.

**M**agnam semper fuisse Φυλοσοφίας tūm digni-  
tatem, tūm utilitatem, nemo est, qui inficias  
eat, nisi qui planè hospitem agit in re litera-  
riâ. Quocunque enim aciem mentis nostræ  
flectimus: compluscula in illam & de illâ gra-  
visimorum juxta ac doctissimorum aucto-  
rum contexta invenimus volumina; quin imò & illi quoque,  
qui apud Priscos eruditionis flore & nitore, multos multis præ-  
cessere parasangis, Philosophiæ beneficio & usu ejusdem sobrio,  
magnum & immortale apud mortales adepti sunt nomen.  
Quamvis autem hoc à nemine salvâ veritate negari vel possit  
vel debeat, quod Philosophia Ducibus à Spiritu S. illuminatis,  
Christiane militiæ in profligandâ hereticorum catervâ insi-  
gnem præstet usum; nihilominus tamen nunquam desunt Ma-  
levoli istiusmodi ac lividi Logodædaliñ ἀσσοφοί, quibus adeò  
sordet Philosophia, ut inani rabie, nescio quo infesto perciti  
astro, nefandâ prorsus ac insolenti industriâ, magnum hoc na-  
tura momentum, non tantum contumeliosè arrodere, suggil-  
lare ac truducere non erubescant; sed, quod horrendum, pro-  
caci quodam fastu planè ex hominum eminent consortio &  
irrevocabili quasi proscribant ostracismo. Scilicet! tanta jam  
ultimo hocce seculo cavillandi libido, carpendique, ne dicam  
relegandi philosophiam, grassatur cacoëthes passim, ut nihil  
propemodum tam solidè de illa proponi dicique queat, quod im-  
mune

mune ac tutum esse possit ab omni morsu, insectatione, vel virgula censoria malevolorum. Quantam vero exinde (pro dolor) Ecclesia Christi jacturam fecerit, facile judicare quivis potest, quippe, cum nullos ferè Ecclesia Christi acriores senserit hostes, quam homines Philosophiæ aut planè ignaros, aut etiam ejus abusu & superstitionibus turgentibus. Ut ergo faciliùs feliciùsve gloriam & honorem Numinis supremi à maledicà & blasphemà hereticorum vindicare possimus insultatione, à teneris statim (quod ajunt) philosophico opera navanda est studio. Hoc dum ipse æqua perpendi animi lance, ad id adactus sum; ut presens meditarer exercitium eique vires meas crederem. Ex Logica autem quicquid est, desumpsi, nam quod ille Terentianus Clitipho de egregiis formarum spectatoribus dicit: Disciplinam scilicet iis esse ancillas primum munerari, ad Dominas qui affectant viam; hoc de me non insulse dici posse, ingenue fateor: ad Dominam scilicet Philosophiam affecto viam, idcirco & mihi disciplina sit, ut hujus famulam, Logicam nimirum, accedam primum, illamque mea diligentia, quâ post modum ad Dominam liberior mihi pateat aditus, pro viribus munerarem. Trinam ergo mentis operationem adumbraturi, hoc ante omnia præoccupamus, nobis non esse propositum omnium promiscuè terminorum in tota Logica accuratam instituere tractationem, siquidem non Systema aliquod sed, theses tantum animus est proponere & brevem ipsius orationem quasi monstrare; sed illorum cum primis quorum usus est insignis in Facultatibus superioribus, maxime autem in S. S. Theologia, ad quam velis, quod ajunt, & remis propero. Ut ergo non ex quovis ligno sit Mercurius; ita nec ex quovis termino fabrica seu structura prædicationis alicujus, sive etiam syllogismi, qui finis est Log: ultimus. Sterilibus ergo & minus necessariis terminis relictis, præcipuos duntaxat eosque utiliores

res

res terminos, præcepta & Canones aggrediemur. Ita ut quamlibet mentis operationem triplici absolvamus sectione, Dogmatica scilicet: in qua, quoad thesin, præcepta brevissimè proponuntur Axiomatica in qua præcipuorum canonum confirmatio, explicatio & applicatio.

Elenctica in qua brevissimè idque modestè controversias proponemus Neotericorum. Quæ propterea heic loci indigitare voluimus, ne in ipsa disputatione mentionem faciamus methodi nostræ, sed tacitè procedendo breves esse studeamus. Ut autem letam sortiatur hoc exercitium catastrophæ, ad Deum piæ dirigo manus hocque, ut cuncta succedant ex voto, calidum Philippi suspirium nunc meum facio:

Nullius est felix conatus & utilis unquam,  
Ergo consilium desque juvesque Deus!

## Membrum dogmaticum.

DE

### NATURA LOGICES.

Th. 1. *Etymologia* Logicæ, quoad Grammaticam derivatur ἀπὸ τῆς λογῆς, quod Græcis tam mentem seu intellectum & rationem, quam orationem significat, unde alii *μεσοφασικόν* alii *ἐνδιάτετον* faciunt. Logica utramque regit, diverso licet respectu. Nempè mentem nostram (1) & ejus conceptus, non quidem absolutè, sed in relatione ad res, i. e. quatenus actu circa res apprehendendas & judicandas sunt occupati. (2) Regit & orationem, non quæ verba suis sunt combinata literis & syllabis, sic enim ad Grammaticam pertinent, nec quæ ornatu sunt decoranda, sic enim Rhetoricæ sunt & Poeticæ, sed quæ mentis conceptus respiciunt, illisque aliquid significant adeoque sunt, ut Philosophus loquitur, conceptuum symbola.

Th. 2. *Homonymia* s. varia Logices acceptio est, juxta quam sumitur vel in *Genere*, pro compage istarum disciplinarum, quæ in ratione & oratione dirigendâ occupantur; Rhetorica

A 3

scilicet:

scil: Logica & Grammatica. Quæ ipsa appellatio & usurpationis vocis dependet ex Etymologia jam jam dicta. In *Specie* sumitur vel *Propriè* pro solo artificiali habitu bene ratiocinandi. *Impropriè* vero pro externo operis effectu in materia crassiori, Systemate puta præceptorum logicorum ordinatè conscripto.

Th. 3. In *Synonymia* non immeritò quæritur, utrum Logica & Dialectica æquipollean? Affirmativæ favet communis loquendi modus, commutans istos terminos, ceû Synonymicos, quod ipsum nō tantum Ramæi plerique, sed ipsi met quoque Scholastici ferè omnes, ut Conimbr: Zabari: Fonseca id observant & pro æquipollentibus agnoscunt, quando imprimis Aristotelis crepant auctoritatem. Verùm distinguendum est inter modum loquendi ἀπογραμματοειδὲς & ἰσοτρεμειδὲς, ille est magis proprius, hic magis improprius. Illum Sectantur qui Logicam Dialecticæ contradistinguunt. Hunc amplectuntur, qui pinguiori Minervâ alterum cum altero permutant, ignari, quod Logica tantum includat <sup>differeñd</sup> artem; Dialectica vero doctrinam de argumentationibus ex probabilius tantum.

Th. 4. Περαγματολογία quod attinet, s. realem Logices definitionem, eam juxta Peripatheticam Philosophiam ita ponimus: *Logica est habitus intellectualis, organicus, mentis nostræ discursum informans, ut ipsa verum à falso accuratè discernat.*

Th. 5. In qua definitione considerandus conceptus latior; *Genus*; & strictior, *Differentia*.

Th. 6. Genus ergo est *habitus* & quidem organicus, adeoque intellectualis: Quia si omnium habituum Aristotelicorum quinque naturam investigamus, & ad præsentem materiam applicamus, nullus est, qui generi Logico sufficiat. De Sapientia, Intell. Prud. perorata lis est. Scientia esse nequit, utpotè, quæ cognitionem & contemplationem pro fine habet ultimo, Logica verò pro Objecto. *Artis* nomen multominus ei competit, quia non est ποιητικὴ ad quam non quidem operis externi, permanentis & corporei requiritur productio; obstat enim exemplum artis Nauticæ & similium, requiritur tamen necessariò operatio externa per vim locomotivam facta, qualem



lem quidem Logica operatio, ne postulat quidem. Manet ergo quod habitus minus principalis, instrumentalis, adeoque intellectualis, sit proximum & adæquatum ipsius genus. Est autem *intellectualis*, quia exerit se non per corpus sed per mentem, & vocatur ita à subjecto suo, quod scilicet Subjectivè sit, in intellectu. *Instrumentalis* vero, quia per se ad alterius usum ordinatur, quod ex sequenti membro patebit clarius.

Th. 7. Conceptus strictior est *Differentia*, quæ est in verbis *discursum informare* & verum assequi, quæ ipsa verba à fine (prout instrumentalibus disciplinis solitum est) sunt desumpta. *Internus* est, informare discursum, h. e. benè ratiocinari, quod nihil aliud est, quam beneficio artis Log: unum ex altero colligere. Ubi obiter tantum notamus, quod ratiocinari, hîc non sumi strictè, prout solam tertiam operationem Logicas sive discursum notat; sed latè prout omnem operationem complectitur; Ut ita ratiocinari dicatur & is, qui thema aliquod per terminos partis primæ convenienter ad amissim pertractet Logicam, & qui propositionem per instrumenta partis secundæ debito resolvat modo ac methodo, quivè argumentationes per notiones partis tertiæ justè exequatur. 2. Non actualiter, prout notat semper actum ratiocinandi, sed potentialiter, prout nempe in definitionibus verba non actus, sed potestates notare assolent. 3. Identicè ad id differere & rectificare operationes intellectus. *Externus* finis est veritatem indagare, s. verum à falso discernere, Veritatem igitur Logica pro scopo habet; non in actu *signato*, id enim fori est Metaphysici; non *exercito*, quod omnium est scientiarum, sed ut loquuntur *directivo*.

Th. 8. Causa efficiens Logicæ ut & totius Philosophiæ est *vel Principalis vel minus principalis*. *Principalis* spectatur *vel* ratione originis, & sic est solus Deus, qui dicitur Jac. 1, 17. esse Pater luminum à quo descendit omne donum perfectum, *vel* ratione inventionis & dispositionis, sunt homines, qui experientiâ & sapientiæ Spiritu præditi eam docent.

Th. 9. *Minus principalis* vero est duplex, vel est *φρονησιμὸν* naturale scilicet desiderium sciendi, omnibus hominibus innatum

otum. *Πεγαυή* est tota Philosophia, quam quia non nisi Logices adminiculo addiscere possumus feliciter, Logica est inventa.

Th. 10. Internæ Causæ sunt *Materia & Forma*. Materia ad Logicam non quadrat, quia est de genere accidentium, quæ materiam propriè dictam non habent. Materix ergo & formæ loco ponimus *Subiectum & Objectum*.

Th. 11. Tametsi autem Subjectum Logices & Objectum, toto, quod ajunt, differant cælo, ita ut subjectum idem sit, quod materia in qua; Objectum verò materia circa quam; nihilominus tamen cum Averroës Objecti & subjecti vocem promiscuè usurpet, eamque sententiam plures alii sequantur, nos quoque eorundem sequemur vestigia, utrumque vocabulum indifferenter accepturi, pro subjecto, ut vocant, attributionis, id est pro eo, circa quod explicandum & tractandum Logica disciplina occupatur. Ut autem subjectum hocce magis magisque illucescat, triplex ipsius damus significatum: 1. Est & dicitur subjectum *informationis* s. directionis & perfectionis. Estq; vel *totale* aut *quod*, i. e. homo vel *partiale*, & ut *quo*, i. e. intellectus nempe humanus, qui operatur vel actu simplici, unde apprehensio illa simplex: vel composito, unde Enunciatio & Syllogismus. Ex quo fundamento quoque Logicæ nostræ desumptum est genus, habitus scilicet intellectualis. 2. Subjectum *Tractationis* est hoc ipsum quod Logica tractat & considerat. Dividitur autem in materiale, s. ut *quod*, quod nempè obliquè à Logico attingitur, omne scil. Ens, prout substare potest notionibus secundis, vel *formale*, & ut *quo*, quod directè à Logico attingitur & modum considerandi semper involvit notionalem. 3. Subjectum *operationis*, circa quod nempè Logica versatur, est uno verbo omne ens, quod cadit sub cognitionem hominis. Accipimus autem subjecto hoc res omnes, sive primos conceptus, ut rem consideratam: non quidem ut Logicus eas universaliter cognoscat, sicut Metaphysicus, sed ut illas mediante conceptu secundo dirigat ac disponat.

Th. 12. Affectiones sunt *Consentaneæ* vel *Dissentaneæ*. *Consentaneæ*, quæ cum naturâ ejus consentiunt, dantur vel *absolutæ* vel

vel *respectiva*: *Absoluta*, quæ Logicæ in se spectatæ conveniunt, sunt 1. *Intentionalitas*, Objectivè scil. & effectivè, non formalitèr, subjectivè aut informativè. 2. *Generalitas*, quatenus alijs subservit disciplinis &c. *Respectiva* sunt, quæ Logicæ cum alijs disciplinis collatæ competunt, ut *necessitas*, utilitas, nobilitas.

Th. 13. *Dissentanea* sunt, quæ cum natura ejus dissentiunt, nempe: *Diversitas*, quatenus scil: partim ab ipsa Philosophia (quod secta *Ramea* negat) partim à Metaphysica (quod negant iidem) partim à Poëtica & Rhetorica (quod negat Zabarella) realitèr differt.

Th. 14. Logica juxta Peripatheticam Philosophiam & Præceptores nostros dividitur in partem *Communem* s. *Generalem*, quæ agit de forma Syllogismi, & ipsius requisitis s. præceptis; Et *Propriam* s. *Specialem*, quæ tractat de materia Syllogismi, s. principijs probandi Apodicticis, Topicis & Sophisticis. Ratio ejus desumitur à *sine*, quot enim modis finem Logicæ assequi possumus, tot sunt ejus partes. Atqui duobus modis. E. Utramque pro virili subjiciemus examini Philosophico.

### Membrum Axiomaticum.

Canon. I.

*Logica expetenda est & addiscenda non propter se, sed propter habitus principales & facultates superiores.*

*Confirmatio.* Patet hic Canon ex supra declarato genere Logico: Nullus siquidem habitus minus principalis & Organicus simpliciter propter se expetitur. Jam vero Logica est habitus instrumentalis, totaque ratio ipsius formalis consistit in instrumentalitate, ut supra dictum. Ergo.

*Explicatio.* Res ergo patet logicam addiscendam esse, tantum propter facultates & disciplinas superiores, adeoque ad conciliandam accuratam notitiam apprehensivam, judicativam & discursivam. Nisi enim Logices cognitione quis sit instructus, res simplices apprehendere, & conceptum simplicem formare poterit modo nullo. Hoc siquidem præstat doctrina de Prædicabilibus, Prædicamentis & Postprædicamentis. Neque secundò poterit Genesin & Analysin definitionum, divisionum &

B

argu-

argumentationum ritè instituerè; Hujus enim leges tùm generales tùm speciales logica præscribit disciplina.

*Applicatio* Ex hoc axioma te i. refutantur Pseudologici quidam, spurium genus logicæ assignantes. Vult enim hic canon Logicam esse definiendam, nec per scientiam, nec per partem Philosophiæ, singuli enim isti habitus propter semetipsos expectantur, adeoque toto genere diversi sunt à natura Logices. De quo supra. 2. Colligitur hinc logicam certo respectu Philosophiæ esse priorem & posteriorem. Consideratur enim vel ut constituenda est & invenienda, vel ut jam constituta & inventa. Posterior est logica habitibus Philosophicis, quatenus spectatur ut invenienda. Habitus enim disciplinarum necessariò præexistere debuerunt in intellectu eorum, qui primo logicam invenerunt. Prior autem est, quatenus spectatur ut inventa. Tunc enim demum rectè fungitur officio habitus instrumentalis.

Canon. II.

*Quousq; se extendit ratio s. intellectus, eousq; etiam Logica.*

*Explicatio.* Agit hic Canon de universali logices usu, vultq; tam latè patere logicam, quàm latè patet ratio, ac proinde prohibet in angustias ipsius redigi usum.

*Confirmatio.* Ratio autem canonis hujus patet ex subjecto sive Objecto logices, quot, sunt res omnes. Ut enim res omnes intellectui, ita & Logicæ veniunt tractandæ, non exclusis multis Theologicis, quas cum grano salis logicæ adminiculo mensuramus. Ubicunque enim una propositio ex alijs legitimè deducitur ab intellectu, ibi usum obtineat suum necesse est Logica, quippè cujus beneficio intellectus unum ex altero per bonâ consequentiam deducit. Atqui in ipsis mysterijs ab intellectu una propositio ex alijs legitimè deducitur v. g. Spiritum S. esse personam in Scriptura S. expressè non habetur, deducitur tamen ab intellectu, legitimâ ex propositionibus, quæ in scriptura habentur consequentiâ.

*Appli-*

*Applicatio.* Usus hujus Canonis in rebus cum primis Theologicis est maximus. Ejus enim beneficio hereticorum sophisticationibus obviam ire possumus, qui tūm propositiones, tūm argumentationes ex foro Theologico tractas, logicis nimis liberè examinare & applicare conantur regulis. Cum tamen notum sit ex principijs logicis præcipuè dijudicari posse non nisi res creatas, & ea, quæ lumine naturæ sunt cognoscibilia. Quæ ergo sunt meræ revelationis, non possunt nec debent philosophicis cogentibus ac necessarijs adstrui rationibus, aut etiam regulis logicis, aliàs non essent puræ fidei, sed scientiæ quoque. Unde non immeritò succensetur Keckermanno, qui contra Antitrinitarios Trinitatem personarum in simplicissimâ Dei essentia demonstrare conatur philosophiæ principijs, quia Trinitas ex Dei essentia promanat, ita ut Deus non possit esse Deus, nisi tres habeat distinctos existendi modos.

Canon. III.

*Logica attendit veritatem connexionis, non veritatem sententiarum.*

*Explicatio.* Veritas connexionis est quæ resultat ex enunciationis & argumentationis quantitate & qualitate. Veritas autem sententiarum est ipsa conformitas rei cum intellectu. De ista iudicium fert sola logica; de hac iudicat philosophus, v. g. positus duobus. Enunciationibus contradictorijs iudicium fert & Logicus & Philosophus. Logicus pronunciat de veritate connexionis, nempe alteram esse affirmantem, alteram negantem, alteram universalem alteram particularem. Philosophus autem attendit veritatem sententiarum, h. e. determinat, an vera an falsa sit, affirmativa aut negativa.

*Applicatio.* Refutari potest ex hoc canone Vedelius ut & plerique Calviniseclæ, qui disputaturi & oppugnaturi ex principijs philosophicis dogma aliquod fidei, semper urgent veritatem sententiarum non verò connexionis, adeoque principia realia & philosophica non tantum indies nova, Arianorum more sibi fingunt, sed eadem quoque cum notionalibus & logicis perperam confundunt. Unico, falso tamen nixi fundamento, quod

regulas & canones in Logica Keckermanniana traditos pro regulis logicis habeant & venditent, cum tamen ut plurimum ad probandam veritatem sententiarum pertineant. Hinc fit, quod supra dictus Keckermannus de *Causa, causato, Toto, parte, de Oppositis &c.* in sua logica ex professo agat, cum tamen ea omnia ad forum spectent Metaphysicum & certo respectu ad Topicam. Sed pergamus ad:

### Membrum Elenchticum.

#### Quaestio I.

#### *Quomodo Logica sit definienda?*

Num per *scientiam* cum Scoto Connimbr. Mendoza, Svaretzio, Fonseca & alijs Scolasticis? Num per *artem* cum Ramo Ramæis & Mistis; Num per *habitu minus principalem* cum Præceptoribus nostris Dn. D. Jac. Martini Excell. Dn. D. Scharfio & hodie plerisque, aliquoties supra est decisum. Adeoque supervacaneum ducimus nunc eandem crambem recoquere, quin potius nugis his & tricis scholasticis relictis utiliora sectabimur. Sit ergo jam.

#### Quaestio II.

#### *Quodnam sit verum & adequatum Logices Objectum?*

περίλυσις

αὐτάλυσις

An *Ens Rationis*, ut Averroës, Thomas, Cajetanus, Toletus? An *Ens & non-Ens* ut Ramus & Ramæi? An *demonstratio syllogismus probabilis, argumentatio, modus sciendi formalis & Objectivus*, ut Avicenna & Connimbr? An *operatio intellectus* ut Carol. de Racion: An *notio prima notionibus secundis substrata*, ut Zabarel. Regius, Horn. Dn. D. Scharfius & hodie plerique Rem hanc citra omnem (quod ajunt) pulveris jactum decidemus. Et quidem i Subjecti & Objecti limitatione. Objectum habent vel *latum* vel *limatum*. *Latum* cum ( $\alpha$ ) notat omne id quod in aliqua disciplina tractatur ( $\beta$ ) cum pro fine sumitur. ( $\gamma$ ) cum subjectum inhaesionis significat. Et in hoc sensu omnes ferè sententiæ tollerari possunt, Sic Syllogismus potest esse objectum Metaphoricum. Sic triplex mentis operatio potest dici logicæ subjectum inhaesionis, quatenus mediantibus istis operationibus per

per notiones logicas dirigitur. *Limatum* est omne Ens, vel omnis res, non quidem in generali suo conceptu, sensu nempe Metaphysico, h.e. quatenus ens, nam non contemplatur eas res simpliciter & ἁπλοῶς, sed tantum juxta quasdam ἁρέσεις notiones secundas ex illis colligit. Duo siquidem in quovis objecto notanda: *materiale* s. res considerata, & *formale* s. modus considerandi, quod nobis est, prout omne ens notionibus secundis substans. Per hanc enim logica ab omnibus alijs disciplinis distinguitur.

Concludo igitur: Res omnes esse objectum Logicæ *Remotè*; quatenus verò notionibus secundis substans, *propinquè*.

### Quæstio III.

*An sit aliquis usus Philosophiæ & in specie Logices in rebus mysticis s. Theologicis.*

*περίλυσις.* Negant id in universum Weigeliani & Anabaptistæ, quibus se associant Calvinistæ. Quorum illi in defectu, hi in excessu peccant gravissimè. Priores sectas, quæ duplici prætextu se munire voluerunt, Scriptura S. & Patrum testimonio, ita, refutavit, & eorundem stramineas profligavit objectiones B. D. Meisner in præf. Phil. *Sobr. quæst. generali part. 1. p. m. 48*, ut mirum sit omnino viperinam illam progeniem manifestæ veritati petulantè recalcitrare. Posteriores Calviniani sc. gravissime item hallucinantur, quando pedisequæ invitæ, coronam reginæ imponunt, & aquilinâ quasi quadam alâ subvolare volunt in sublimia mysteria, non sine dispendio animarum Philosophiâ in quæstionibus fidei oraculi instar audiendâ, per eandem in nobis Sp. S. lucem accendi &c. & quæ alia multa profert Keckermânus l. 1. Syst. Th. c. 4, p. 57, & l. 1. præcog. Phil. c. 4. p. 80; quo autem jure fiat, quâve in juriâ jam jam dicemus.

*ἀνάλυσις.* Nos erroneis his opinionibus nuncium mittentes ad mediam & regiam veritatis nos conferimus viam. Distinguiamus autem primò & explicamus tam subjectum quàm prædicatum. Tandem verò re perceptâ ad quæstionis decisionem

descendemus. Dicimus ergo vocem Theologiae secundum  
 notionem ipsius duplicatam s. sensum, tum objectivum, tum  
 causalem esse λόγον περὶ τοῦ Θεοῦ & λόγον παρὰ τοῦ Θεοῦ, h. e. qua-  
 tenus notat doctrinam & sermonem de Deo, non quidem quem-  
 vis, sed quem Deus ipse inspirando revelavit, & revelando inspi-  
 ravit. Sequestramus vero hic à conceptu nostro Theologiam  
 ἀρχετόπον & consideramus ἑκτυπον, non quatenus accipitur γ-  
 νικῶς pro fide Christiana, aut μεσῶς pro functione ministerii Ec-  
 clesiastici, sed εἰδικῶς pro accurata & perfecta mysteriorum di-  
 vinarum cognitione. *Philosophiam*, quod attinet (quæ nobis  
 nil aliud est, quam sedula veritatis inquisitio, ardens virtutis a-  
 mor, & seria vitiorum fuga,) eam inquam quod attinet, sciend-  
 dum: nos eam considerare non εἶ. ὑπαρξεί quoad existentiam,  
 quat. reperitur in hoc vel illo subjecto, seu probo seu improbo  
 h. e. concrete. Sed in ἰσία & abstracto (si ita loqui licet) qualis  
 nempè ex se & suâ naturâ esse debet. Hoc ergo modo Philoso-  
 phia est habitus animi sapientia & prudentia constans, & est res  
 bona. His ergo præsuppositis, non quæritur an philosophia  
 utilis simpliciter & necessaria sit ad Theologiam γενικῶς acce-  
 ptam? Negativam enim & nos defendimus. Quot enim extite-  
 runt verè pij & Christianis homines, qui rerum philosophica-  
 rum prorsus ignari Deum nihilominus sincerè coluerunt, fi-  
 demque & religionem orthodoxam, ritè professi sunt? imò ma-  
 gis commendatur in pietate & ἡποσειβεία piscatoria simplicitas,  
 quam Dialectica subtilitas. Nec 2. quæritur de Philosophia  
 μεσῶς pro functione scil. Ecclesiastica, sed εἰδικῶς, ut supra dictū  
 acceptâ. De hac dicimus quod ipsius cognitio futuro accura-  
 to Theologo tum ratione præparationis, tum ratione ipsius per-  
 ceptionis & defensionis locorum Theologicorum, non utilis  
 modo, verumetiam necessaria sit. Inutilis autem fit, si sobria  
 esse definit, h. e. si Theologiae nõ subjicitur, sed præficitur. Hunc  
 autem usum præstat philosophia potissimum per organum su-  
 um utilissimum nempè logicam, quippè, quæ tres illas mentis  
 operationes ita dirigit, ut 1. intellectus ritè apprehendere 2. dex-  
 trè componere & dividere, 3. accuratè discarrere afsuescat.

PRIMÆ



# PRIMÆ MENTIS OPERATIONIS.

## Membrum dogmaticum.

De

### Terminis Antepredicamentibus.

Th. 1. Quoad *homonymiam* terminus sumitur (a) vel *improprie* 1. pro limite & fine campi seu agri, 2. pro die iudicij dicendi constituto, (β) *Proprie*, sumitur vel *latè* pro qualicunque notione sive prima sive secunda; vel *strictè* pro notione secunda seu terminis technicis, qui pro diversitate disciplinarum variè quoque possunt considerari; vel *strictius*; pro extremis rei in compositione aut resolutione, ut syllogismus habet terminos in quos resolvitur, nempe Majorem Min & Med. Et *strictissime*, pro notione Logicâ, seu primâ mentis operatione, quatenus scilicet est instrumentum, bonæ & judiciosæ ratiocinationis.

Th. 2. Quoad *Etymologiam*, derivatur à terminando, quod terminus aliquid definiat sive determinet.

Th. 3. Quoad *Synonymiam*, æquipollent; Notio, noëma, intentio logica, vox, vocabulum secundæ intentionis, Ens rationis &c.

Th. 4. Pragmatologia s. realis definitio hæc esto: *Terminus est in quem resolvitur propositio*. Ubi primò notamus definitum, quod nimirum *terminus* hîc non intelligatur in genere omnis terminus, sive *proprie* sive *improprie* sumptus, sed ille, qui est signans, formalis, notionalis - ex quo tandem ut parte, propositio componi vel resolvi potest, licet non semper actu, tamen potentia. Non autem hîc in totum negamus vocem extra propositionem positam, terminum appellari posse. Sicut enim apud Grammaticos conjunctiones vocantur conjunctiones, etiam quando non ponuntur in oratione, & nullas ejus partes jungunt, quia saltem ex vi significationis suæ aptæ sunt conjungere partes orationis; Sic quoque apud logicos, voces (simplices puta) possunt dici termini, quando extra enunciationem constitutæ nihil terminant, quia saltem ex vi significationis suæ aptæ sunt propositionem terminare. Adeoque considerari potest

est terminus vel relatè in respectu ad Syllogismum, vel absolutè sine respectu.

Th. 5. Definitio constat genere, quod hîc subintelligitur, & differentiâ, quod nimirum aptus sit ad constitutionem & resolutionem propositionis.

Th. 6. Dividitur generalissimè juxta triplicem mentis operationem.

Th. 7. Post generalem termini protheoriam, ipsam jam simplicium terminorum antepredicamentorum adeoque Prædicabilium aggrediemur Theoriam. Quæ non tantum ad meliorem prædicamentorum faciet cognitionem, verum quoque suppeditabunt nobis simplicissima instrumenta, quæ aptitudinem prædicandi in terminis illis incomplexis habent. Ut autem id commodè & cum fructu fiat, prudentis hîc artificis sequemur vestigia, qui facturus opus aliquod, imprimis disquirat contuendoque investigat, an res sive materia sibi objecta sit etiam habilis & apta ad formam illam artificialem recipiendam. Ut enim nō ex quovis ligno fit Mercurius, ita nec ex quavis materia, quodvis artificium, nec quivis terminus aptus ad fabricam prædicationis & syllogismi, adeoque materia inepta ex officina & agro logicorum removenda. Notum siquidem est, res s. notionis rerum vel aptas esse ad operationem logicam vel ineptas. Et has iterum vel simpliciter ineptas, in quibus logica nullam plane aptitudinem recipiendi syllogismum invenit, ut sunt *Æquivoca*; vel secundum quid ineptas, quæ non omnem operationem logicam effugiunt, sed aliquomodo faciunt ad formam artificialem logicam, syllogismum puta, ut singularia s. individua in actu exercito sumpta. His ergo jam remotis facilius & feliciter absolvemus prædicabilia ipsa, facturi hoc sub nomine & titulo duplicis termini, *Synonymi* & *Paronymi*, Logicus siquidem ostensurus in rebus aptis modum prædicandi legitimum, ut scilicet exinde bonum fabricari possit syllogismum, omnia entia revocat ad synonymum & Paronymum. Hoc nixus fundamento, quod omnes res ad se collatæ considerentur, vel ut sunt, & sic illas respicit essentialiter; vel ut insunt, & sic illas respicit accidentaliter. Ut ergo logicus & <sup>to</sup> esse rerum & <sup>to</sup>

to inesse conceissim exprimat, duo illa *technica* assumpsit vocabula, & logico nomine res ad se essentialiter appellitare voluit Synonyma: res verò accidentaliter paronyma, quod ex sectione patebit axiomatica.

Th. 8. Quando jam particulariter & in specie Synonymum consideratur ejusq; universalis ratio quidditaria ad inferiora, tanquam ad certas materias applicatur, tunc respectus illi materiales Synonymi secundum Philosophum tres saltem numerantur: *Genus* nimirum *species* & *Differentia*. Qui tres respectus licet nihil absurdi contineant, nobis tamen nunc non satisfaciunt. Autumamus enim Aristotelem (quod pace ipsius dixerim) multa ignorasse Ethnica seductum cœcitate. Nos ergò adspirante divini Numinis gratiâ planius & plenius applicationem & explicationem Synonymi instituemus, juxta illud: multiplicatis rebus vel noviter inventis, etiam termini possunt multiplicari vel ampliari. Ubi tamen in parenthesi quasi hoc diligenter notari volumus, distinguendum esse inter respectum termini formalem & materialem. Formalis respectus dicitur consideratio termini in sua idea, prout nempe præcisè & abstractè sumitur ab omnibus materie conditionibus. Materialis autem respectus termini est applicatio ejus ad certam aliquam materiam, prout nempe perpenditur terminus contractus per modos vel species suas. Hoc modo respectus formalis synonymi est, respicere aliquid essentialiter, Paronymi verò accidentaliter. Sic ergò respectus Synonymi materialis est respicere aliquid essentialiter, ut Genus vel ut species, vel ut differentia; Paronymi verò respicere aliquid accidentaliter, vel ut accidens commune vel ut proprium.

Th. 9. Respectu itaq; modi illius materialis, synonymum ita dividimus: Quod aliud sit vel *commune* seu *latius*, vel *æquale*.

Th. 10. *Commune* est quod de pluribus essentialiter, sed non reciprocè dicitur esse. Idq; vel *eminens* s. *transcendentale*, vel *Prædicamentale*.

C

Th. II.

Th. 11. Eminens est duplex: vel 1. ob entis nobilitatem vel entis latitudinem.

Th. 12. Prius est in rebus mysticis & divinis ubi applicationem illam Synonymi planè in vi eminenti urgemus. Posterius spectatur in rebus sive conceptibus Metaphysicis, ubi illi vel omnia vel certa tantum transcendunt prædicamenta. Hinc genus aliud univocum aliud analogum.

Th. 13. Synonymum Prædicamentale est, quod essentialiter & in abstracto prædicatur secundum modum prædicamentalis compositionis nempe generis & differentia.

Th. 14. Est autem Synonymum hoc prædicamentale vel commune, multis specie diversis, ut dicitur *Genus*, vel commune multis numero differentibus, ut dicitur *Species*, vel æquale ut dicitur *Differentia*. Adeoq; omne Synonymum prædicamentale, vel genus est, vel species vel differentia.

Th. 15. Paronymum verò denominativum seu extra essentialiale Synonymum est *Proprium & Accidens*. Ordine de singulis.

Th. 16. *Genus* est prædicabile de pluribus specie differentibus in quid, ut animal respectu hominis & bruti.

Th. 17. Dividitur in summum vel subalternum, proximum vel remotum, univocum vel analogum.

Th. 18. *Species* est prædicabile, quod de pluribus numero differentibus prædicatur in quod vel quid, ut *homo & brutum, rationale & irrationale*.

Th. 19. Estq; vel univoca, quæ univoco generi subjecta est, vel analogica, quæ sub genere analogico continetur.

Th. 20. *Differentia* est prædicabile, quod de specie aut numero diversis prædicatur, in quale essentialiale, ut sensitivum de homine & lupo.

Th. 21. Ipsius munus duplex est, 1. ut cum genere constituat speciem, deinde ut dividat in species. Priori modo dicitur *constitutiva*, posteriori *divisiva*. De qua notamus Regulam: Quando differentia specifica alicujus rei ignoratur, tunc propria vicem ejus sustinent, v. g. equi differentiam specificam nescimus, ut ait Scaliger, solius hominis essentiam novimus cæterorum animalium ignoramus.

Th. 22.

22. Dividitur porrò in *genericam*, quæ constituit speciem subalternam, *specificam*, quæ proximè constituit speciem infimam.

Th. 23. *Proprium* est Paronymum, quod per se & necessario inest, indeq; per se denominat suum subjectum, ut risib-, se prædicatur de Petro, Paulo &c. non essentialiter quidem, sed necessario. De quo hoc saltem notetur, aliud esse primi, secundi, tertii, & quarti modi. Id autem quod in quarto modo dicitur esse, propriissimè proprium est, atque hic loci consideratur.

Th. 24. *Accidens* est Paronymum, quod adesse vel abesse potest sine subjecti interitu, & prædicatur in *quale* accidentaliter.

Th. 25. Dividitur in Prædicamentale, quatenus contradistinguitur substantiæ & significat naturam IX. prædicamentorum, & Prædicabile, quod contradistinguitur quatuor præcedentibus prædicabilibus; Hoc jam est vel separabile, vel inseparabile, quod per se patet.

Th. 26. Annectimus his *individuum*, quod sub generibus ac speciebus ad certas existentiae circumstantias est determinatum. Genus enim Logicè in suas species, species iterum in species specialissimas, hæ tandem in individua, quod arbor Porphyriana docet, distinguitur.

Th. 27. Dividitur à Scholasticis, quod aliud sit vagum s. particulare, quod nomen totius ad partem contrahit, vel quod exprimitur cum adjunctâ notâ particulari, ut aliquis homo. Sicut autem sunt quædam individua vaga, ita etiam species & genera sunt vaga ut aliquod, animal pro homine, aliquod ens pro quanto.

Th. 28. Aliud autem porrò individuum est signatum & quidem simplex uno nomine, vel paraphrasticè vel hypotheticè, seu individuum ex hypothesis, ut Poeta pro Homero.

Th. 29. His adjungi potest usus generalis, qui extat apud B. Jac. Mart. in *Inst. Log. de Prædicab. c. 1. p. m. 39*. Specialem usum monstrabunt sequentia.

## Membrum Axiomaticum.

Canon I.

*Quicquid predicatur, predicatur vel essentialiter vel accidentaliter.* Canon hic satis superq; constat ex supra dictis.

Can. II.

*Dici requirit inesse.* Axiomate hoc, quia cum primis Calvinistæ in impugnanda & blasphemanda Idiomatum Divinorum communicatione abutuntur, non abs re fuisset id brevibus hic loci attingere, quia verò in sequentibus fiet meritò hic illud temporis ob angustiam sicco præterimus pede.

Can. III.

*Genus cum sua specie sunt in eadem Categoria, & eadem divisione ejus Categoria, & denique in eodem modo.* Quod postremum debet intelligi de speciebus & generibus accidentium, ut virtus & justitia sunt in eodem subjecto.

*Explicatio.* Est autem genus in eodem prædicamento cum sua specie vel *directè* vel *indirectè* vel *reductivè*. Quot enim modis aliquid est in prædicamento, tot modis quoq; generis & speciei in iisdem dicitur esse habitatio.

*Applicatio.* Probè hic notandus cæcodoxorum hujus canonis abusus. Plerique enim Seraphici Dd. Calvinistæ, ut suum etiam in beatos Lutheri nostri cineres plus quam Vatinianum declarent odium, ipsius definitiones utriusq; fœderis suggillare & veluti vitiosam traducere non erubescunt, eo quod stantibus illis ruat error ipsorum sacramentarius, de mera *χρησις* & analogica corporis & sanguinis Christi præsentia ac sumptione in sacra Cœna. Attrectat hoc Kerkermannus, qui ut definitiones Lutheri sugillet, & naso, quod ajunt, suspendat adunco, logicum hoc axioma in subsidium vocat, illudque contra nos urget. Cum enim sacramentum sit actio, corpus verò & Sanguis Christi ad substantiam pertineant, inde vitiosum & minus logicum genus in definitione ista appositum esse concludit. Ut igitur

tür B. Lutherus defendatur, & Luthero-mastyges confundan-  
tur, notari volumus: Dupliciter Sacramentum considerari,  
vel primò in abstracto, & absolute, quatenus est actio ab obje-  
cto distincta, vel in concreto, prout induit ipsum objectum,  
atque sic corpus sangvinemq; Christi in definitione Sacramen-  
ti posuit Lutherus noster, non absolute, sed sub respectu man-  
dicationis & bibitionis, quia statim addit: sub pane & vino  
ad manducandum & bibendum nobis Christianis institutum.  
Jam verò corpus manducandum quatenus manducandum, &  
ipsa corporis manducatio realiter non differunt, sed modali-  
ter tantum. Adeoque B. Lutherus noster implicite quasi, a-  
ctionem Sacramenti genus constituit, quia ipsum corpus  
quatenus manducandum, & sanguis quatenus est bibendus, sa-  
cramentum esse dicit.

Can. IV.

Propria intelliguntur de Potentia non de actu.

*Confirmatio:* Veritas hujus axiomatis, quia non nisi à fa-  
naticis & αἰσώφους negari potest, nunc prolixè nobis non est de-  
ducenda.

*Explicatio.* Hoc tantum Canone hocce indigitare volu-  
mus, proprium pro naturali sumi potentia & aptitudine, non  
vero pro actu vel operatione, neque enim ridere ita homini est  
proprium, ut semper rideat actu, sicut neq; alii animæ rationa-  
lis actus & operationes; sed sufficit, si modò potentia adsit.

*Applicatio.* Applicamus hoc ad forum Theologicum,  
& notamus contra Calvinianos, ubi in argumentando de pro-  
priis semper subinferunt & turpissimè confundunt actus & o-  
peraciones, cum tamen naturæ proprium per se non requirat  
actus secundos, sed potentias & virtutes naturales importet.  
Hinc falsò argumentantur: Corpus Christi non est in loco.  
Ergo non est corpus verum. Resp. quod esse in loco non sit  
proprium corporis, quia importat actum secundum, sed posse  
esse in loco, sive locabile esse sit proprium corporis veri. Li-  
cèt itaque corpus Christi actu non sit in loco, non tamen pro-  
pterea negandum est, quòd sit verum corpus. Potest enim

corpus omninò conservari, si vel maximè non sit in loco actuali; modo habeat aptitudinem ut possit locari.

Can. IV.

*Individuum constat ex proprietatibus. Non quod ex illis tanquam partibus sive essentialibus sive integralibus componatur, sed quod illas comprehendat vel iis afficiatur.*

### Membrum Elencticum.

Quaestio I.

*An Deo conveniat genus Logicum?*

*Πρόλυσις.* Affirmant Calvinistæ quidam, ut Piscator Vol. I. disp. 2. de Deo p. 26. Timpl. l. 4. Met. c. 2. q. 4. Keckerm. in System. suo Logico, & alii pleriq;. Verum rectissimè id negat Scheibl. Intr. Log. c. 2. Dn. D. Scharf. & alii Orthodoxi.

*Ανάλυσις.* Aliud est natura communis, aliud natura univ. e. falis. Communem quidem naturam in Deo agnoscimus, & confitemur. Universalem autem nequaquam. Nempe genus Logicum. Probamus id 1. à natura generis, quod est commune pluribus specie diversis. Jam verò Deus est unus, est ens simplicissimum & singularissimum, unus numero non genere neq; specie. Prædicatur quidem Deus de tribus personis sed modo profus singulari atque eminentissimo ut supra dictum, in membro dogmatico. 2. Probari id quoque potest à proprietatibus generis. Omne genus naturâ prius est specie. At in Deo nihil prius nihil posterius, neque enim ulla datur ibi prioritas naturæ.

*Επίλυσις.* Licet itaq; vel maximè nomen commune possit dici de Deo, non tamen statim ut communis natura generica.

Quaestio II.

*An propria possint communicari.*

*Πρόλυσις.* Negant id in universum Antiperipathetici & Calviniani plerique & inter eos præprimis Keckerm. in Syst. & Gymnasio suo passim, Timplerus item l. 3. Metaph. c. 7. probl. 13. Controv. nostrates Philosophi Orthodoxi Affirmativæ favent sententiæ Dn. D. Scharfius, Martini, Meisnerus, Calovius, Scheibl. & alii.

*Ανά-*



Ανάλυσις. In enodatione hujus controversiæ notetur status controversiæ rectè formatus.

Sciendum ergò probe controversiam inter nos & Adversarios non esse (α) de communicatione καὶ ἀλλοποίησιν (β) neq; de subjectis localiter disjunctis aut non unitis (δ) sed intelligitur hic κοινωνία proprii κατὰ συνδίασιν εὐ a nempe copulatur cum altero. Et est intermedia inter κοινωνίαν proprii κατὰ σύγχυσιν, & inter accidentis κοινωνίαν, quia neq; id quod communicatur, multiplicatur ad diversa subjecta, ut fit in κοινωνία accidentis, neque subjecta confunduntur ut fit in κοινωνία proprii κατὰ σύγχυσιν nec transit è subjecto suo in aliud nec procreat sui simile ἐνέργημα in alio.

Th. 30. Non verò intelligimus heic talem κοινωνίαν κατὰ συνδίασιν, quâ per metonymiam subjecti, pro adjuncto, alterius subjecti proprium realiter non communicatur alteri, sed nomen duntaxat illius ei tribuitur: quam Calvinistæ mordicus defendunt; sed intelligimus talem communicationem idiomatum κατὰ συνδίασιν quæ non τῷ ὀνόματι duntaxat h. e. nominatenus; sed ὄντως seu reipsa fit. De quâ fusius D. Grauerus in Absurdit Calv. His itaq; omnibus remotis rectè & ritè controversiæ statum formamus h. m.

*An subjecti alicujus proprietates alteri subjecto sibi intimâ  
ᾠεχορησῆ unito per communicationem κατὰ συνδίασιν  
revera competant.*

Orthodoxi Lutherani affirm. Cacodoxi Calvinistæ pernegant, neutro id fieri modo sive φυσικῶς sive ὑπερφυσικῶς discutiantes.

*Κατασκευῆ vera sententiæ.*

Formato jam legitimè statu controversiæ, sententiam nostram probatum imus hoc tertio. Cuicumque communicata est hypostasis filii Dei, ei etiam per naturalem quandam resultantiam communicata sunt propria seu attributa illius Hypostaseos divinæ Atqui carni Christi. E.

Maj. sua luce radiat. Siquidem idiomata illa divina non differunt

runt realiter ab ipso Deo juxta illud: quicquid est in Deo est ipse, Deus. Adeo ut divina illa idiomata ne ad momentum quidem temporis separari possint; salva manente natura. Qui enim tollit proprietates, tollit naturas. Min. ratio patet exinde: quod nisi communicata essent carni Christi, aut H. N. Hypostasis ἔ λογῆ aut nullam aut propriam haberet hypostasin quod utrumq; est absurdum. Ubi tamen hoc notari velim; quod illa hypostasis non transeat ἐ λόγῳ in humanam naturam tanquam aliud subiectum, alioqui λόγῳ non amplius suam haberet hypostasin. Nec procreat aliam hypostasin tanquam simile sui ἐνεργημα in humana natura, Hoc enim esset Nestorianismus nec esset una duarum naturarum ἕνωσις, cum causa efficiens & effectus unum esse nequeant: nec per confusionem ἔ λογῆ cum humana natura, sic enim non manerent duæ diversæ naturæ in Christo, sed ut supra dictum κατὰ συνδίασιν.

### Membrum Dogmaticum.

Th. 1. *Prædicamenta* sequuntur de quibus hoc præoccupamus, nobis heic loci non esse propositam doctrinam hanc ex professo & accuratè tractare, sed illam ad futuram ablegare disputationem Metaphysicam tanquam ad propriam illius sedem & forum. Nunc tantùm brevissimam ipsius damus σκιαγραφίαν, adeoq; dicturi de ipsius materia, & respectu ejusdem.

Th. 2. *Materia* prædicationis juxta Excell. D. Scharff. est omne id quod prædicationem ingreditur. Notandum tamen quod res vel conceptus rerum determinatarum hic represententur non realiter ut fit in Metaphysica & disciplinis realibus, sed notionaliter & Logico modo, siquidem Logicus hic non venatur ipsam rerum cognitionem, sed quomodo in rebus lateat aptitudo prædicandi, saltem ostendit. *Aptitudinis* autem illius conditiones sequenti ostenduntur disticho:

Vox una & simplex, rebus concinna locandis

Entia per sese finita realia tota.

Th. 3. *Divisio* est triplex vel 1. ex modo dicendi, vel 2. ex mo-

modo Essendi, vel denique 3. ex ordine rerum prædicandarum  
Singulorum membrorum subdivisiones quas hic propter  
temporis angustiam fusius deducere haud potuimus vide Dn.  
D. Scharfium, Dn. D. Jac. Mart. & Scheibl. Log. de prædicamen-  
tis.

Th. 4. Respectus jam illarum materiæ prædicationis  
restat, juxta quem quædam sunt supra prædicamenta, ut Deus  
& Ens cum affectionibus; quædam in prædicamentis, eaq; vel  
*directè*, ut Genera & Species, quæ dispescuntur in decem vulgò  
dicta prædicamenta, vel *indirectè*, ut partes, privatio, concreta,  
& collectiva; quædam denique sunt infra prædicamenta, ut  
entia intentionalia, notiones secundæ, & entia rationis. Con-  
jungemus statim & postprædicamenta ne forte disputatio no-  
stra præter spem & voluntatem Thamusi superet annales. U-  
sum autem Philosophico-Theologicum hujus tractatus, vide  
in Clave Reineccii sub titulo de prædicamentis.

Th. 5. *Postprædicamenta* tradunt fundamenta negatio-  
nis & commonstrant terminos negativè disponendos, ut sunt  
*Opposita & Disparata*.

Th. 6. Sunt autem *Opposita* ejusmodi termini simplices,  
qui ita sibi invicem repugnant, ut simul in eodem subjecto se-  
cundum idem & idem, & eodem tempore stare nequeant.  
Vocantur aliàs repugnantia & diversa cum pugna. Pugna au-  
tem illa est quando nimirum duo extrema positiva sub eodem  
genere communi maximè distant, ut calor & frigus, albedo  
nigredo.

Th. 7. *Opposita* illa sumuntur modo pressè quatenus con-  
prehendunt solas illas quatuor species; modo late, & tunc com-  
plectuntur omnia ea, quæ quovis modo in aliquo esse repugnât,  
sive contineantur in illo quadruplici genere oppositionis, sive  
non. Vide Colleg. Conimbr. de natura opp. pag. 541. artic. 1. &  
seqq. Ubi eadem operâ formalem termini illius rationem, tum  
quoque differentiam termini hujus scil. oppositi & disparati in-  
vestigant.

Th. 18. *Diversa* sunt itidem termini simplices Postprædi-  
camentales, quæ monstrant fundamentum negationis restri-

D

ctè &

ctè & determinatè. Suntque vel pure disparata & in summo gradu, vel aliquo modo tantum pugnantia, ut homo & equus

Ex hætenus explicata doctrinâ usus principalis exprimitur in inst. D. Jac. Mart. lib. 2. de Prædicam. m. p. 195. Nos sequenti sectione id specialius facturi.

### Membrum Axiomaticum.

Axioma I.

Quæ toto Genere distant, sub unum Genus prædicamentale cogi nequeunt.

*Explicatio.* Regula hæc loquitur non de iis, quæ Genere subalterno vel proximo distant sed generalissimo: quod ex sequentibus patebit. *Applicaturi* autem axioma hoc sobriè cum primis rebus theologis, insignem nobis suppeditabit usum ad decidendas sophisticationes quasdam Photinianorum. *Querunt* enim an actiones substantiales (utpote generatio & corruptio) pertineant ad prædicamentum actionis. Quod ipsum tantum tribus decidimus bolis, respondendo, aliud esse ponere quid in prædicamento directè aliud indirectè.

Directè quidem est in prædicamento ipse terminus *ad quem*; indirectè autem in eodem prædicamento est actio, quæ ad istum terminum tendit. *Querunt* secundò: An Spiritus S. sit persona à patre & filio realiter distincta? quod ipsum cum Apostolo affirmamus 1. Cor. 12, 4. & freti nostro canone ipsorum objectiones profligamus, siquidem perpetuæ veritatis est, ea, quæ toto genere differunt, sub eodem genere convenire haud posse.

Axiom. II.

Disparatum de disparato regulariter prædicari affirmatè non potest.

*Confirmatio.* Probatur hoc primò quia sunt dissidentia quæ negando enunciantur. Secundò quia disparatorum unum multis pariter opponitur.

*Explicatio.* Intelligitur autem canon hic, de prædicatione regulari, non irregulari & inusitatâ, propriâ non figuratâ; essentiali & per se, non illa quæ est per accidens. Nec obstat mul-

multa posse adduci Exempla in contrarium : Ut Deus est homo, verbum est caro. Panis Eucharisticus est corpus Domini &c. Hæ enim & similes prædicationes sunt inusitatae & tropicæ, non verò usitatae & propriæ, quod canon citatus exigit. Quotiens ergò disparatum de disparato prædicatur affirmativè, necesse est unum accipi propriè, alterum tropicè.

*Applicatio.* Abutuntur hæc regulâ, cum Photiniani ad impugnandum incarnationis mysterium; tum cum primis Calviniani ad destruendam & blasphemandam oralem corporis Christi manducationem. Hinc Keckermannus inquit: Disparata nunquam conveniunt eidem, multò minus inter se consentiunt, sibi què mutuò tribui possunt, nisi fortè per Analogiã *Resp.* Regulam supra positam esse ex merè naturalibus sese habentibus collectam, adeoque esse fundamentum in ordinario tantum naturæ cursu. Præterea constat disparatum prædicari de disparato, in specie verò corpus Christi de pane; non permutatione physica, ut unum transeat in alterum; sed ob unionem mysticam quatenus alterum cum altero præsentissime est conjunctum vide B. Meisn. part. Phil. Sobr. c. 5. q. 1. p. 209.

## Membrum Elenchticum.

### Quæstio I.

*An doctrina prædicamentorum tantum debeat ad Metaphysicam, an verò etiam ad Logicam referri?*

*Πρόλυσις.* Quidam prædicamenta referunt ad solam Metaphysicam, alii ad solam Log. alii ad omnes promiscuè disciplinas hoc nixi fundamento quod ens considerare sit Metaphysici vide D. Scheibl. introd. Log. c. 2. n. II. item Conimbr. proœm. l. Categ.

*Ανάλυσις.* Sed obviam ibimus huic hæresi multiplici, & dicemus aliud esse ens ut ens considerare, secundum realia ipsius attributa & affectiones, quod facit Metaphysicus, aliud secundum notiones secundas & ad ratiocinandum directas, quod est Logici. Fieri enim id sæpiusculè videmus, ut una eadem-

demq; res in diversis disciplinis consideretur, modo tamen di alio atq; alio considerandi.

*Επίλυσις.* Concludimus ergò cum Aristotele & aliis Philosophis accuratis: Prædicamenta ut prædicamenta, quatenus sunt ad prædicationem præparamenta, ad Logicam; quatenus verò Entis proponunt analogata sic ad Metaphysicam spectare.

Quæstio II.

*An distinctè & peculiariter in Logicis de termino hoc dissentaneo & negante sive postprædicamentali agendum?*

*Πρόλυσις.* A quibusdam hic in defectu, ab aliis in excessu peccatur. In defectu peccant illi: qui postprædicamenta, aut planè ad Grammaticam ablegant, aut verò vocabula tantum quædam explicare dicunt, quorum mentio facta in prædicamentis adeoq; tantum ut explicationi prædicamentorum inservientia.

*Επίλυσις.* Rectius inter Neotericos quidam, qui finem postprædicamentorum dixere terminum ad futuram propositionem aptificare. Data enim propositione negante in parte secunda Log. dandus quoq; est terminus istius operationis in prima. Sicut ergò terminus partis primæ est vel Consentaneus vel Dissentaneus, Consentaneus autem per Antepædicamenta & prædicamenta in specie est expositus; Ita non minus Dissentaneus specialiter jam explicari debet. Non enim minus frequens est propositio negativa quam affirmativa.

## SECUNDÆ MENTIS Operationis.

### Membrum Dogmaticum.

Th. 1. Secunda mentis operatio est directrix conceptus complexi. Conceptus autem ille sive terminus complexus est duplex. Vel enim componitur ex duobus incomplexis terminis ut *enunciatio*, vel ex tribus & pluribus incomplexis ut *Syllogismus*.

Th. 2. *Enunciatio* Logica est Oratio, in quâ primo verum vel falsum inest. Alii malunt enunciatum, Interpretationem, Pro

propositionem, sententiam, Axioma &c. vocare. : Nos vocabuli vim generalem spectantes, cum Excellentiss. nostro D. Scharffio appellabimus Enunciationem, nemini litem ob vocem moturi.

Th. 3. Cæterum dupliciter consideratur Enunciatio Logica, vel primo quoad naturam vel quoad ipsius affectiones. Quoad *Naturam*, videndum quid sit, quod dictum est supra ubi quoque ponuntur ipsius partes tum formales quæ nexum terminorum spectant. tum materiales & essentielles, Subjectum scil. & Prædicatum.

Th. 4. *Qualis sit.* Nempe affirmativa & Negativa eaq; vel formalis, quæ habitu & formâ actuali negat. Vel virtualis & Eminens quæ potentiam negandi habet utriusq;, tam affirmativæ quam negativæ vid. Instit. Excell. D. Jac. Martini. l. 3. c. 7. Jul. Pacium in organo suo Arist. c. 4. Itemq; Conimbr. & deniq; Præceptorem nostrum honorandum Dn. Doct. Scharf. in Instit. suis Logicis.

Th. 5. *Quanta sit?* Nempe Universalis, Particularis, Indefinita singularis &c.

Th. 6. *Quotuplex sit & sic imprimis Generaliter* propositionum divisiones sumuntur vel à *forma*, vel à *materia* vel à *Modo* enunciandi.

1. *A forma*, est vel affirmativa vel negativa, sicut autem affirmans est ea in qua totum prædicatum attribuitur subjecto ita econtra vera negans est ea quando totum prædicatum removetur à subjecto non vero pars. Ut homo non potest currere, est Negat: Homo potest non currere est Affirm. Utraq; est vel Finita quæ fit terminis finitis, ut homo est animal: vel infinita quæ infinitis, ut homo est non Leo.

2. *Ex forma propositionis*, est vel Cathégorica & simplex vel Hypothetica. Cathégorica vel absolutè talis & sine modo, diciturque secundi vel tertii adjecti. Vel determinata cum certo modo, ut est modalis. In quâ dicitur aliquid inesse vel non inesse sub modo aliquo. Necessè contingens possibile & impossibile, & exponibilis, eaq; vel exceptiva, exclusiva, restrictiva, reduplicativa & specificativa.

3. Divisio propositionis à materia dicit propositionem esse vel veram vel falsam. Intellige autem veritatem & falsitatem non realem & physicam quæ omnium est disciplinarum, sed instrumentalem & Logicam, complexam, non incomple-xam.

4. A Materia est vel *Necessaria* vel *contingens*, de quibus in materia demonstrationis.

Ex modis enunciandi, est vel universalis vel particularis indefinita & singularis, quorum definitiones & subdivisiones heic enodare non est nostri propositi, videantur hanc in rem Authores.

Th. 7. Propositionis seu enunciationis Affectiones absolute quæ uni propositioni solitariè & per se sumptæ competunt sunt i. Suppositio, Explicatio seu interpretatio ac resolutio & limitatio. *Suppositio* quid & quotuplex sit variè & prolixè alibi authores, sufficiat heic dixisse, de ipsius affectionibus, quæ ei vel ( $\alpha$ ) *ratione totius enunciati* competunt ut ascensus & descensus, qui juxta Scholasticos est vel copulativus, disjunctivus & divisivus, vel ( $\beta$ ) *ratione copulae* ut (1) *status* cum scilicet voces accipiuntur pro re existente & tempore per principalem copulam & significatio (2) *Ampliatio* cum terminus à minore ad majorem suppositionem extenditur, & plures differentias, quàm adsignificatio copulae importat complectitur. Vel deniq; ( $\gamma$ ) *ratione termini adjuncti*, ut *Restrictio*, *alienatio*, *diminutio*, & *appellatio*; De quibus specialiter vide Excell. D. Danhauerum in Idea sua boni Interpr.

Th. 8. *Interpretationis* hic scopus præcipuus & finis est: ut nimirum per eam pateat modus, quomodo Logicus obscurum Enunciatum eruat, ambiguum determinet, intricatum exponat semiabsolutum perficiat, & deniq; ad plenum sensum Logicum reducat.

Th. 9. *Limitatio* tertia propositionis affectio absoluta, est sensus propositionis ad certam determinationem reductio & revocatio. Estque vel *formalis* quæ ipsam formam propositionis determinat, vel *materialis*, quæ vel à parte subjecti vel prædicati, prædicatum determinat & ostendit quo respectu e-

nun-



nunciatur de subjecto. Hæc fit vel per terminos *Generales* quales sunt: *per se*, per accidens absolutè comparatè: materialiter, formaliter. Vel *Speciales* qui cuiq; materiei sunt proprii. Fusius hæc deducit Keckerm. l. 2. Syst. Log. c. 4. p. m. 334.

Th. 10. Propositionis Affectiones respectivæ, quæ scil. propositioni cum altera collatæ competunt, sunt (1) *Conversio*, quæ est extremorum propositionis totaliter sumptorum, (salva manente veritate) Logica transpositio. Estque vel *simplex*, quæ eandem quantitatem retinet, ut in universali negante & partic. aff. vel *per accidens* quæ mutat quantitatem, vel per contrapositionem, ubi servatâ quantitate termini finiti mutantur in infinitos.

2. *Consecutio*, & deniq; 3. *Oppositio* subcontraria scilicet Contraria & Contradictoria de quibus v. Inst. D. Scharfi & B. J. Martini.

### Membrum Axiomaticum.

1. Quicquid nec subjectum nec prædicatum est, pars enunciationis esse nequit.

Qui Canon quia sequenti patebit membro merito hic temporis & chartæ ob angustiam à proluxa ejus supersedemus expositione.

2. Unius orationis sensus non est nisi unicus.

Sicut enim unius rei unica tantum est forma, ita quoque sensus tanquam enunciationis forma, est unicus. Notandum tamen melioris explicationis ergò: aliud esse sensum, & aliud sensus accommodationem vel collectionem, vel etiam perversionem, de priori est sermo non posteriori. Vide Sobr. Phil. Meisn. Sect. 2. partis 2.

3. Exponibilia affectiones, dijudicandæ ex indole categoriarum, sive exponentium in quas resolvuntur.

Res patet Exemplo. Disceptatur in Logicis; *An signum Exclufivum pertineat ad subjectum, an verò ad prædicatum.* (v. g. in hæc: Sola fides justificat. An Exclusiva pertineat ad fidem

dem, an verò ad actum justificationis.) Quidam prius, quidam posterius propugnant. Verum tota controversia componi potest ex hoc canone, qui vult, artificium exponibilis resolvendum in Cathegoricis exponentes v.g. Sola fides justificat, resolvendam in hanc exponentem: quicquid non est fides, non justificat.

4. Ab inclusiva ad exclusivam, non valet consequentia.

Hic canon, uti per se facilis est ita quoque diligenter observandus contra Pontificiorum & Photinianorum sophisticaciones. Objecit enim Crellius. Si Christus opera Patri attribuit, sequitur quod ille non sit verus Deus. Sed prius est Joh. 14. 20. E. Verum Resp. Crellium vitiosè argumentari ab Inclusiva ad exclusivam, nec enim valet consequ. Opus conservationis competit Deo Patri, E. non Filio sed soli Patri, quippe cum vanitatem hujus consequentiæ ipse Christus detegat, Joh. 5. v. 17. ubi asserit: & patrem operari & semetipsum operari. Idem quoque Crellius contra divinitatem Christi eodem fere argumentatur modo sed nos pergimus ad

### Membrum Elencticum.

Quæstio.

*An copula sit pars axiomatis? Et num possit tropum sustinere.*

Πρόλογος. Affirmant id in universum Calviniani & Cæcodoxi pleriq; ut suum sacramentarium errorem facilius confirmare possint. Sed rectius nostrates negativam contra eosdem defendunt.

Ανάλυσις. Non immorabimur autem jam in adversariorum sophismatum analysi, sed potius nostram sententiam uno vel altero probabimus argumento. Dicimus ergò (1) copulam non esse partem materialem axiomatis. Nam materia propositionis uti constat, semper sumitur ex duobus argumen-  
tis

tis seu locis Dialecticis jam verò copula in resolutione axiomatìcà, ad nullum refertur locum dial. E. Nec (2) copula est pars formalis seu forma propositionis. Nam in omnibus aggregatis forma non est alia, quàm aggregatio materialium partium. Unde patet formam propositionis non posse esse aliam quàm aggregationem subjecti & prædicati, quod de copula dici nequit. Hinc ergò sponte sua patet & ultrò sese offert secundi membri veritas. In copula non posse esse tropum. Nam omnis tropus fundatur in aliquo argumento, quod de copula supra negatum. E. concludimus tropum non posse esse in copula. Videatur de copula D. Scharfius in peculiari tractatu quem præmisit Manuali suo Logico. Grauerus item in absurdis Calvin.

2. An veritas cognitionis solum reperiatur in propositione Negatur contra quosdam Vide Dn. J. Mart. disp. 5. Metaph. q. 3. Conimbr. libr. de Interpr. c. 1. q. 1. a. 2.

3. An propositio, quæ certò vera est in una disciplina, possit esse falsa in alia. Negatur contra Duplicistas Schilingianos & Hoffmannum. V. D. Gravverum tractatum de unica & simplici veritate.

4. An propositiones de futuro, sint determinatè veræ aut falsæ? Aff. v. Scheibl. tract. de prop. c. 4. tit. 7. q. 5.

### Membrum dogmaticum.

Th. 1. Tertia mentis operatio, discursus scil. seu syllogismus, dividitur in *Formalem* & *Materialem*.

Th. 2. In formali, sive syllogismo in formâ & generalissima materia spectato consideranda sunt: *Ejus Principia*: vel *constitutiva* eaque tum *materialia* tres scil. termini & totidem propositiones, tum *Formalia* figuræ tres & modi figurarum vel *Directiva* eaque partim Canonica, ut dictum de Omni & Nullo, partim regulativa: ut sunt regulæ consequentiarum, partim denique *perfectiva*; nempe *Reductio*: quâ perficiuntur syllogismi secundæ & tertiæ figuræ & *expositio* unde syllogismus expositivus.

E

Th. 3.

Th. 3. *Affectiones* quales vulgò ponuntur sunt potestates & imbecillitates Syllogismi de quibus Excell. D. Scharfius in Tab. Phil. 8.

Th. 4. Quoad species, syllogismus est vel perfectè dictus atque sic vel *Categoricus*: purus scil. Modalis vel Exponibilis vel *Compositus*: Assumptivus scil. & Transumptivus; isque vel Hypotheticus, Disjunctivus, Copulativus.

Vel *Imperfectus*: in quo est vel defectus vel redundantia, ut Enthymema. Inductio, Exemplum & Sorites de singulis argumentationum modis consulantur authores.

Th. 5. Syllogismus materialis est Syllogismus determinatæ materiæ Logicæ, logicè applicatus. Materia autem ista in conditionibus generalibus in universum *triplex* logico considerandi modo est, *Necessaria, probabilis & apparens*, Atque ita & Syllogismus Logicus materialis triplex erit.

Th. 6. Syllogismus necessarius est, qui ex necessariis propositionibus concludit. Consideratur vel in genere quoad ipsius principia, quæ sunt domestica, seu propria, necessaria & infallibiliter cognita h. e. propositiones ad eandem disciplinam, ad idem genus, & ad eandem materiam pertinentes.

Th. 7. In specie verò consideratur prout est demonstrativus ubi notetur *Natura demonstrationis* quod sit vel *Generalis*, vel *Specialis*. Generalis, quæ ex principiis non Apodicticè necessariis procedit. Specialis verò quæ ex Apodicticè necessariis oritur. Hæc vel *primaria* est, quæ ex proximis causis probat effectum, diciturq; *diòli* & propter quid: vel *Secundaria*, quæ requisitis primariæ caret, & vel à causis remotis ad effectum, vel effectum ad causam, vel signo aliquo ad signatum progreditur. Utriusq; Exempla fat multa collegit Titelm. l. 4. Dial. c. 29.

Th. 8. Effectus demonstrationis est (a) Scientia. Demonstratio enim parit scientiam cum ex causis rem cognoscere faciat. (b) Definitio (c) Methodus, Synthetica scil. & Analytica.

Th. Syllogismus verò Probabilis seu Topicus est qui constat ex probabilibus & non adeò necessariis propositionibus. Loci autem

autem ex quibus argumenta probabilia sumuntur sunt juxta receptam Philosophiæ Peripatheticæ sententiam partim Artificialia partim inartificialia. Artificialia sumuntur, (a) à nominibus eorumq; explicationibus. Nam cui nomen & notatio veri nominis verè convenit, ipsi etiam rem nominatam convenire probabile est. Reales autem Loci ex quibus artificialia sumuntur argumenta ut partim *Consentanei* ex consensione scil. facti, iiq; vel *interni*: sunt Definitio, Genus, Differentia species, Totum, partes essentielles, & deniq; Materia cum Forma, vel *Externi* qui extra essentiam terminorum sunt ut Efficiens & finis, proprietates, subjectum & adjunctum, Accidentia, Antecedentia, Consequentia & circumstantiæ. *Dissentanei* verò loci reales qui nimirum oriuntur ex nudâ diversitate & pugna terminorum sunt: Diversa, disparata, opposita, consequentia deniq; & consecutio oppositorum. *Artificialia* autem loca sunt: ab authoritate & testimonio aliorum.

Th. 9. Syllogismus tandem apparens & Sophisticus est qui constat propositionibus falsis qui nimirum cum re non consentiunt. Quia autem de syllogismo tali, per accidens tantum Logicus tractat perinde ac Physicus de Privatione, ideò à longâ ipsius tractatione hâc vice supersedebimus, quin potius ob prolixitatem quam hactenus disputatio nostra præsens causata est paucis tantum attingemus.

### Membrum Axiomaticum.

1. Quicquid de aliquo subjecto universaliter affirmatur, illud quoq; affirmatur de quovis, quod sub isto subjecto continetur.

2. A non distributo ad distributum non valet Consequentia.

3. Argumentatio Topica, quæ procedit ex parte subjecti, accuratè distingvenda est ab argumentatione, quæ procedit ex parte prædicati.

4. De quocunq; aff. Proprietates, de eodem affirmatur subjectum seu res ipsa.

Canones hi quia maximam partem supra in tractatione syllogismi materialis sunt expositi, merito hic temporis ob angustiam properamus ad

## Membrum Elenchticum.

Quaestio I.

*An Syllogismus sit adequatum Librorum Analyticorum & partis tertiae objectum? & si objectum partis tertiae, an primo loco tractandus Syllogismus in forma? An materiali Topico praeponendus?*

*Πρόλυσις.* Variant hic sententiae, & quidem quae primum membrum, putant Clitoveus Marsilius: objectum librorum Analyt. & part. tertiae esse *argumentationem* Averroes & Alexander *demonstrationem* alii aliter. Qua secundum membrum. Negant recentiores quidam apud Conimbr c.1. quod inventio sit prior iudicio, & prius materia sit comportanda, quam forma aptetur. Idem sentit Dusa. l.4. Log. c.2. n.1. seqq.

*Ανάλυσις.* Distinctè hic dicendum 1. Analyticorum priorum objectum *tractationis* est syll. simplex quae formam consideratus: nam ille in illis libris pertractatur: Objectum nobilitatis demonstratio esse potest. Et sic Arist. hic, de demonstratione agi dicit. 1. prior. c.1. & 4. 2. Analyticorum poster. objectum tractationis est demonstratio, ut bene Toletus praef. l. 1. post. Nam hujus principia, partes & passionis ibi quaeruntur & proponuntur, quod de objecto aliquo in disciplina fieri solet, 3. Omnium librorum Logicorum de syll. tractantium, ut Analyticorum, Topicorum, Elenchorum, & sic partis tertiae Logicae universae, adequatum & totale objectum est syll. in universum sumptus, & formalis & materialis, & necessarius, & probabilis, & apparens, & simpl. & compositus. Quando jam dicunt nonnulli: Enunciationem ipsam proximè materiam.

riam syllogisticam excipere debere; tunc notamus. 1. Materia generalis & communis, qualis in syll. sunt *Termini & propos.* quæ in præcedentibus jam elaborata; Specialis verò, quæ cuidam saltem rei inservit qualis est in Topicis, ubi syllogismus applicatur materiæ probabili, & talibus enunciatis, accurato doctrinæ ordine postponi debet. Sic enim communissima in artibus sunt præponenda specialibus. A generalibus enim pendet intellectus specialium, jam verò communius quid, Dispositio formaliter sumpta, quàm certæ materiæ applicata. E. Concedimus materiam priorem esse formam in naturalibus, & ordine producendi, in artificialibus autem & ordine intendendi ac docendi non item.

*Επίλυσις.* Concedimus ergò quod materia subjiciatur omniformæ syllog. sed generalis non specialis. Vide Hunoldi Canonum Logicorum l. 1. c. 9. Can. V.

### Quæstio II.

*An semper in forma syllogistica de rebus Theologicis sit disputandum?*

In quæstione autem hâc videbimus 1. *Statum controversiæ recte formatum.* Ubi dicimus mentem Theologi & Philosophi longè celeberrimi Meisneri scil. qui hanc movit quæstionem & negativam in part. 1. Phil. Sobr. sect. 1. c. 6. q. 7. fovebat sententiam; non fuisse eam, quasi de rebus Theologicis disputandum sit sine bona consequentia & illegitima illatione. (Hoc enim non esset disputare sed ineptire.) Sed potius per formam syllogisticam intellexit: ipsam explicatam syllogismi structuram in specie, prout nempe communiter & plerumque isto termino utuntur Logici, ut proinde is tantum ipso actu juxta mentem B. Meisneri formaliter disputet, qui Syllogismos in certa figura modoque constitutos proferat. Hinc ergò statu controversiæ percepto, jam 2. *ad ipsam problematis descendimus discussionem,* dicentes: modus iste disputandi ne-

que simpliciter est necessarius, nec ubique possibilis, nec Ecclesiae Doctores perpetuo usitatus, nec etiam per omnia semper fructuosus. Quae negativa, licet in sese verissima sit & contra morosos Calvinianos ac Jesuitas nil nisi Syllogismos & formam crepantes, satis superque sit à Scholasticis quibusdam probata, insuper abundanti tamen unico id duntaxat illustrabimus & probabimus medio. Quæritur *An mundus à Deo sit creatus?* & aff. Affirmatio hæc est probanda; & probatur ex Gen. I. V. I. Ubi manifesta & evidens est litera, quam Syllogismo probari nec opus, nec possibile est. Si enim instaret adversarius. *Proba Syllogismo*, Deum creasse cælum & terram; nonne absurdus foret & impossibilem principii probationem peteret? igitur concludimus: Scripturæ S. dicta non indigere probatione Syllogistica; sed propter authoritatem divinam illis credendum. Et per consequens neq; in Colloquiis Theologicis absolute necessariam hanc disputandi esse rationem,

Tantum.

SOLI JEHOVÆ ELOHIM  
UNI TRINO GLORIA!



*Ad Præstantiss.*  
**Dn. Respondentem.**

**F**elix, qui didicit conjungere sacra Profanis  
dextrè, & Divino studio sociare SOPHIAM.  
Inter enim Scyllam versari, interq; Charybdim  
næ prudentiæ opus, summæq; est dexteritatis!  
Non à THEOLOGO procul est arcenda SOPHIA,  
nec tamen imperium HUIC in SACRIS convenit ullū.  
Artibus & Linguis quisquis mentem imbuit, omnem  
Is demum lapidem moveat, quò THEIOLOGIÆ  
tùm penetrare queat sacra penetralia solers.  
Quisquis ab his studiis exfors tractare Sacrata  
vult, cœcus veri mediâ sub luce videtur,  
convincetq; minus feliciter ille Sophistas.  
Ergò, BLIVERNITI cordi tibi cura utriusq;  
Ut studia hæc Σοφίας nec contempnisse puteris,  
nec nisi pro servâ Σοφίαν Te THEIOLOGIÆ  
rectè habuisse, doces chartis præsentibus hisce.  
Hem factum benè! Sic pergas! Felicibus ausis  
in Patriæq; Tuumq; usum cœptis Deus adsit!

*Vovebat Witeberge*

**Abraham Calovius, D. P. P.**  
Consistor. Eccles. Adsess. circuli  
Electoral. Superintend. Ge-  
neral.

Ad  
*Præstantissimum,*  
DN. RESPONDENTEM,  
Amicum Colendum.

**T***empora veris eunt, turgescunt sanguine vena,  
Et nova vis mentes, vis nova corda trahit  
Te juvat exercere animum, atq; ostendere mentis.  
Præclaras dotes. Præmia digna feres.*

Johannes Sperling  
P.P.



Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515






Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



52

ICÆ  
K Ω S  
ta,  
IK Ω S  
ta,  
K Ω S  
m cum pri-  
s auxilio  
Academia,  
FICI  
*Simi*  
TRENTSCHII,  
fessoris Publici,  
is sui æternum  
*subicit*  
Thor. Bruff.  
*horis matutinis.*  
+  
cad. Typogr.

